

non absolutè, nec omnibus nuptias prohibeant, & matrimonio interdiciant, sed iis tantum, qui se voto castitatis obstrinxerunt.

§. 16.

Verum hæc distinctio nullo nititur Sacrarum literarum fundamento; quia 1. nullum mandatum, nullum probatum exemplum, neque etiam divinum promissum de voto cœlibatus afferri potest; quia 2. Paulus simpliciter, sine distinctioe votî istius loquitur, de iis, qui matrimonio interdiciunt iis, quibus contrahere nuptias licet; quia 3. è S. literis nusquam probare possunt, quod homini libero, qui dono continentiae non est peculiariter ornatus, liceat sibi matrimonio interdiciere; quia 4. ex S. literis edocere nequeunt, quod, qui dono continentiae non sunt præditi, iis liceat contra præceptum Apostoli: *Melius est nubere, quam uri*; sese, ut perpetuo urantur, voto, cui satisfacere nequeunt, obstringere, & facultatem matrimonii sibi adimere.

§. 17.

Possemus adhuc plura contra votum istud Pontificiorum solenne afferre, sed cum (brevitatis studio) jam non sit nostri instituti, totam de isto materiam pertractare, remittimus benevolum Lectorem ad DD. *Hülsem. qui in Breviar. p. m. 749. seqq.* prolixè & non minus accuratè hac de re disputavit.

§. 18.

Porro ad illa etiam verba, quæ in textu allegato habentur ἐν ὑστεροῖς καιροῖς excipere conantur adversarii, nominatim Costerus, illa nimirum
ad